


# EPISTULA LEONINA

## CLXXXIX

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXXVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM UNDENONAGESIMAM (189) !**

**ARGUMENTA**

AUDACTER CALUMNIARE ( <i>Baco Verulamensis</i> ).....	03
DE BIROTA GUBERNANDA ( <i>Navarro</i> ).....	04-16
VOCABULA COMMUNICATIONIS (IV).....	17-29

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam undenonagesimam (189). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!*

*Lepidam narratiunculam nobis misit **Radulfus Navarro Hispanus** cultor Latinitatis maximê strenuus. Spectat quidem mira haec narratiuncula ad artem birotae gubernandae, tamen hoc opusculum videtur attribuendum esse aliquatenus illi generi fabularum, quae nomine **scientiae ficticiae** appellantur. Sed de hac re ipse iudices.*

*Quid dicam **de rebus lexicographicis**, de vocabulis laboriosissimê collectis atque confictis? Spatio triennali non potero, quin omni septimanâ vobis praebeam nonnullas centurias vocabulorum Orbi Picto inserendorum. Spero interdum fieri posse, ut tu quoque quadam curiositate inductus inspicias indices verborum meos: invenies multa nova in Orbe Latino inaudita, e.g. echea et telecopiatra et responstra telephonica et ... computatra et sophopona...*

*Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruire!*

**Medullitus Te salutat**

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 03. m.Febr., a.2019**



**FRANCISCUS BACO VERULAMENSIS**  
(1561-1626)

**AUDACTER CALUMNIARE**  
**SEMPER ALIQUID HAERET**

Hoc proverbium affertur a Francisco Bacone in opere, quod inscribitur »De dignitate et augmentis scientiarum« (Londinii a.16095, L.8, c.2, Parab.34). Latinus fons originalis nondum inventus est, sed saepe dicitur hoc proverbium derivatum esse e quodam loco Plutarchi, qui invenitur in eius opere, c.t. »De adulate et amico«. Quo loco diffamatio comparatur cum vulnere morsu effecto, cuius semper restat cicatrix.

## DE BIROTA GUBERNANDA

Aetatem iuvenilem agenti parumque res hodiernas curanti ne fere quicquam impedimento est, quin saecularem vestem deponendo, novam et salutiferam, quae divitias aspernatur et virtuti beatitudinique consulat, accipiat vitam. Augustinus duodeviginti annos natus, parentibus iam pridem orbatus (eorum si quam tenuit umquam memoriam e mente oppido excedit) quid ad bene vivendum facturus sit secum animo iugiter volvebat. Summo ingenio summaque sedulitate discipulus, non defuerunt magistri, qui ei suaderent, ut, cum praesertim ceteros scientia et doctrina longe antecelleret, arti rerum naturae perscrutandarum vel oeconomicis artibus operam daret, at ille alia appetebat. Ultimo anno in lyceo scholis magni - ut ei videbatur - momenti interfuit, quibus magnopere delectatus est; scholae enim in vehiculo obsoleto et omnino a plerisque spreto, birota, vertebantur. Ea tempestate, anno MMMDCV p. Chr. n., nemo viis animi causa ambulabat neque propiora itinera, velut in pantopolium, pedibus faciebat, sed autocineto celerrimo, quod soni fines excedere poterat, homines huc illuc vehebantur, adeo enim recentissimum hoc vehiculum propagatum est, ut infantes et pueri suum, at minus pauloque - ut ita dicamus - lentius, haberent et inde a pueritia autocinetum puerile expedite gubernarent. Quod enim fieri potuit, quod cum homines cibus pessimis et pinguibus nutritos in dies ventriosiores fieri scientistae percepissent, pilulas fabricaverunt, ut salubrioribus cibus homines in toto orbe terrarum alerentur, ex quo factum est, ut nullum videres crassum ideoque, cum antiquitus saeculis imprimis XXI et XXII ambulandi currendique consuetudinem alii ad salutem tuendam alii ob nimium sui corporis amorem tenuissent, quidnam tunc temporis birota mortalibus usui sit? Nihilominus Augustini magister, birotarum peritus, discipulorum pectora, tamquam sata et nondum madida semina, studio et amore eius disciplinae perfudit eique delenimento fuit, ut se birotali scientiae traderet.

Saepe autem curis cottidianis conturbatus Augustinus meditabatur. Otium his rebus consumebatur neque vitam futuram aliter excogitabat nisi birotae dicatam. Profecto – inquam – hoc vehiculum, etsi despuerent plerique, in Academia adhuc colebatur. Erant autem, qui Augustini sententiae accederent: avia et Conradus, qui parentium

partes pro virili eo tempore egerunt. Avia Francisca, quam matrem ipse vocabat, dictitabat non esse hominibus tantum decernendi potestatem, verum providentiae aliquando fidendum esse, nam neque magistros neque ipsam hariolari posse, quid crastino die eventurum esset et multo minus eius consilii bonum malumve proventum. Conradus, vir pius, undecumque scientiae et doctrinae, Augustinum impellebat, ut in sententia sua maneret. Ab eo Augustinus quaesivit quid de eius consilio sentiret et sine mora respondit pulchrum inceptum aggressurum esse neque se dubitare, quominus si in salebras incidisset, facile evasurus esset.

Avia et Conrado faventibus Augustinus in consilio suo saepe vacillabat, praesertim cum familiares et amicos et plurimos alios patienter clamitantes audiebat nullum officium praestari eum posse, si tam inani et inutili disciplinae se applicaret. Ipse autem secum “Et” – mussitabat - “quomodo familiam, cum habeam, sustineam? Suppeditabitne, ut iis vestes et alimonia praestinem<sup>1</sup>? Vae filiis et uxori, qui pauperum maritum eundemque patrem accipient!” Praeterea in lyceo pauci erant, qui disciplinam birotalem docerent, nam neque plures discipulos magistri habebant neque hanc disciplinam omnes necessario colebant (artes mathematicae atque informaticae longe vigeant), quare facere non poterat Augustinus, quin de sua futura egestate continenter meditaretur.

Animo autem firmo die constituto Academiae nomen dedit, ut birotae gubernator - ut putabat - aliquando fieret. “Velim” – aiebat - “vos monitos esse, quo munere intra paucos annos functurus sim, iamdudum decrevi: birotarius Deo volente evadam!” Avia et Conradus valde gavisus sunt et de sua sententia sunt Augustino gratulati. Avia “Macte” inquit “virtute, mi Augustine! Utinam parentes diutius vixissent, ut te birotarium vidissent.” Paululum ingemuit memoriae causa Augustinus, qui parentes vehiculum celerrimum gubernantes quindecim annos ante amisit. Ex eo tempore avia et Conradus dulcissimi parentes ei fuerunt.

Cum Academia a domicilio multum distaret, parvam domum una cum tribus amicis in urbe conducere instituit, ita ut ad aviam hebdomadis exitu et diebus feriatis reverteretur, quod enim vix passus est, cum

---

<sup>1</sup> praestināre i.q. emere. e.g. PLAUTUS Captivi 848 iuben...alium piscis praestinatam abire?

aviam ut matrem semper diligeret. Extrema autem hebdomade priusquam domo egrediebatur, totus erat in libris lectitandis de birota et in agro colendo, hortum enim cum avia et aliquando - si vacabat - Conrado adibat, cuius fructibus totum paene annum vescebantur. Duo erant tempora ad serendum aptiora, scilicet autumnus et ver, sed - ut maiores asserebant - pulchriores atque sapidiores fructus fiebant vere. Autumno viridissimas lactucas, carotas, cepas, allia, fabas etiamque poma terrestria, quae toto orbe innotescebant, in horto aspiceres. Avia Francisca, artis coquinariae valde perita, fabas et carnem ita coquere solebat, ut fierent succulentae; cuius rationem coquendi tunc Augustinus necessitate cogente didicit. Oportebat primum fabas siliqua praeditas purgare, ne horti bestiolae, quae leguminibus innascuntur, cibum contaminarent, posteaque minutatim eas concidere, ut in aquam ollae bullientem summitterentur. “Quibus addas cepas, allia, imprimis suillam, si libet, seu vitulinam carnem”: “Oleum” - ut avia aiebat - “modice, mi fili”. Quae cum in olla essent, sal erat aspergendum vinumque suffundendum, quoad fabae et caro igni lento coquerentur. Haec erat prima mensa, nam - ut eius erat mos - duas saltem parabat tamquam si nepotem uno die saginare vellet. Secunda vero erat liquamen, quod ex piris et pomis cum saccharo et melle proximo anno fecerat (marmelata<sup>1</sup> autem Augustinus magnopere delectabatur). Vere cucurbitae, siliquastra, lycopersica in horto crescebant (ex lycopersicis condimenta conficiebat, quibus spacellos<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Auctor utitur verbo, q.e. *cydonitum*. Sic apud Isidorum Hispalensem (Etymologiae 17,7,4, cfr Dioscurides, De materia medica 5,20: κυδωνίτης οἶνος). appellatur quoddam genus vini e fructibus cydoneis confectum. E contrario narrator noster videtur loqui de genere *marmelatae*, qualis hic cibus Romanis Graecisque ignotus appellatur a recentioribus (Christian Helfer, Lexicon auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.363: *marmelāta*, -ae f.) - cfr Stefanus Blancardus, Lexicon medicum Graeco-Latinum, Jena 1683, p.303: marmelada, -ae f. - cfr Hermann Schelenz, Geschichte der Pharmazie, Berlin 1904, p.496: \**marmelata*, -ae f. a.1641. - cfr Johannes Christophorus Sommerhoff, Lexicon Pharmaceutico-chymicum Latino-Germanicum, Norimbergae 1713, p.227: “Marmelada & **Marmelata**, est succus cerasorum, cydoneorum vel ribium, in gelatinam crassiusculam cum vel sine saccharo condensatur: eaque tum simplex est, tum aromatisata, idque pro usu medico aut domestico.” - De origine nominis nos docet *Liliane Plouvier* Francogalla hoc in situ interretiali:

<https://www.encyclopedia.com/food/encyclopedias-almanacs-transcripts-and-maps/jams-jellies-and-preserves>

<sup>2</sup> Auctor nomen affert neolatinum ab Antonio Bacci confictum, q.e. *pasta vermiculata* (Antonio Bacci, Lexicon vocabulorum quae difficilius Latine redduntur, e.ed., Roma 1963, p.616: *Spaghetti - pasta vermiculata*). Aptius mihi videtur sequi etymon nominis Italici sive potius Italiani, q.e. *spagho*, pl. *spaghi*, i.q. *spacus*, tomix, genus filorum. Deminutivum verbi Latinitatis vulgaris (minimê malae), q.e. *spacus* (<https://www.etimo.it/?term=spago>), est *spacellus*, pluralis *spacelli*. Ergo licet *spaghetti* Latinê appellare: *spacelli*, -ōrum m.pl. (cfr Christian Helfer, op.mem., p.513, s.v. Spaghetti). - Ceterum i.q. Itali dicunt *vermicelli*, Latinê appellare ausim hōc nomine: *collŷrae vermiculātae*. Nam cibi pasticii sensu generali aptê nuncupantur *collyrae* (*collŷra*, -ae f., cfr Groß, Vox Latina 1977, p.394, cfr PLAUT.Pers.92, ITALIA Levit.7,12 ; 8,26; cfr Georges, Ausführliches Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch, Leipzig 1870, tom.2, col.543: „Nudel collyra ... Nudelsuppe, jus collyricum“).

condiebat). “Monstra sane” - Conradus inquit - “et portenta videntur, quae cottidie agrum colentibus Dii dant”.

Priusquam in Academiam proficisceretur, remotissimos a domo - paene in silva - dilectissimos sodales Antonium et Aemiliam convenit, ut de rebus cottidianis deque viculi novitatibus longe alteque colloquerentur. Cum e plebe essent, eorum enim pater optimus erat pastor, a matre domi sunt bonis moribus instituti; ambo etiam agri culturam et animalium curam percallebant, quamvis rusticitates magis Antonio quam Aemiliae arriderent. Ea cum Augustino multa de birota legerat et aliquando veterem et flavescentem libellum saeculi XXV, quem Aemilia a proavo accepit, Augustino commodavit. Valde ideo dolebat, quod sodalis egestatis causa eadem studia, quae ambo adamabant, persequi haud poterat. Tunc Augustinus “Scito” inquit “me in promissis staturum et, ut singulis hebdomadibus revertar, ad te libris oneratum perventurum esse”. Aemilia “Cave” inquit, ”te obsecro, et fac ut quam primum ad nos feliciter redeas”. “Fidem” ait “servabo”. Aemiliae tum pater in conspectum venit: “Salve, Augustine”, Augustinus “Salvus” ait, “sis, Ansgarii”. “Te” – pergit - “mox Academicum factum iri fama fert”. “Ita, domine”. “Tibi gratulor, care. Sed apud nos cena, quaeso: escas bonas gustabis”. Tum Augustinus: “Doleo” inquit, “sed mihi abeundum est; fabas ex horto coquendas avia curavit, tamen alias apud vos cenabo”. “Fac sine cura. Quando urbem petes?”. “Cras” inquit “multo mane; hamaxostichus<sup>1</sup> hora octava cum quadrante abibit”. “Igitur” -Aemiliae pater ait- “si nunc morem mihi non geris, te ad viae ferratae<sup>2</sup> stationem autocineto vehere me sine”. Quamquam neminem molestiis afficere vellet, at cum is amicus haberetur, ei tandem morigeratus est: “Gratias” inquit “singulares propter humanitatem tibi ago. Te domi praestolabor”.

Nec mora cum die crastino gementem et quasi lugentem aviam valere iussisset, in Aemiliae patris autocinetum, qui hora constituta advenit, se contulit. Quid, ubi autocineto celerrimo veheris, sentias, verbis vix exprimi potest; oporteret animis fingamus iter, quod mille abhinc annos duabus horis fecissemus, minus quam quindecim momentis nunc id fieri posse. “Ignoscas” – inquit - “sed benzinum deficere

<sup>1</sup> Auctor utitur verbo neolatino, quod proposuit Carlo Egger, Diurnarius Latinus, 68: \*hamaxostichus, -i m. Aptior mihi videtur **trāmen**, -inis n., cfr angl. *train*, fr. *train*, hisp. *treno*, ital. *treno*. cfr Caelestis Eichenseer, Latinitas Viva, Pars lexicalis, Saarbrücken 1981, p.39: Eisenbahnzug – **trāmen ferriviārium**.

<sup>2</sup> via ferrata, i.q. \***ferrivia**, -ae f. (Georg Lurz, Societas Latina 1939,p.17; Societas Latina 1934, p.48).

nuper vidi, ideo benzinopola<sup>1</sup> nobis adeundus est”. “Sine cura sis, Ansgarii”. Paulo post ad viae ferratae stationem advenerunt. “Bene dii vortant, Augustine!”. Valedicentem in autocinetoto cito incessu deseruit, cum praesertim hamaxostichi fores claudentes ex longinquo advertisset. Tessera numeri experti praeditus iucundum primo aspectu loculamentum selegit, ubi duo eiusdem fere aetatis adulescentes tranquille sedebant et de aestate deque itineribus factis perplacide colloquebantur. Initio libris et telephono gestabili operam dabat, quoad de aliis viatoribus quicquam, quod eius intererat, audivit. “Sed” - alter ait - “me pater severe admonuit, ut in alia studia sicut artem mechanicam vel autocineticam potius quam in scientiam birotalem incumberem”. Cohorruit simulque est Augustinus valde gavisus, cum talia auscultasset. “Equidem” - alter ait - “patris venia his rebus studere coepi, nam id multum mihi profecturum esse dictitat”. “Ignoscatis” - Augustinus ait - “sed quamvis privata res mihi initio videretur, quam fabulamini mea quam plurimum interesse puto; mihi nomen est Augustinus et in scientiam birotalem hoc anno incumbo”. “Macte - manum porrigens dicit - virtute, amice. Mihi nomen est Flavius et ei Xaverius”. “Salvete!”. “Tunc - Flavius ait - haec studia hoc anno inchoasti?” “Ita. Et casu vel divinitus vos conveni. Num primum cursum aggressuri estis?” “Minime. Tres sunt anni, cum Academiae nomen dedimus”. “Me sane peritiores estis”. “Nihil” - Xaverius ait - “cures, condiscipule (sic enim appellari te nunc licet), hanc scientiam leviter callemus, etsi eam diu attractavimus. Hoc vero mox etiam experire”. “Non est autem dubium - Augustinus ait - “quin quarto anno expleto peritissimi eritis. Cottidie ego in birotae partibus memoriae mandandis insudo et mihi perdifficile hoc videtur. Difficillimam esse artem neque paene ullum complecti posse, nisi birotae pertractandae continenter operam impendes, in lyceo magister acriter fatebatur”. Tum Flavius in Xaverii aures insusurrans: “Sane birota numquam est usus”. “Tace” - Xaverius clamavit -, “noli condiscipulum in deterius reddi, ne ab omnibus tamquam nos exsecretur”. Argumentum statim mutatum est, sed Augustinus quid sibi vellent apud se paululum turbatus cogitabat.

Antequam de hamaxosticho descendit, a novis sodalibus numerum telephonicum, quem quidem libenter dixerunt, petivit.

---

<sup>1</sup> \*benzīnopōla, -ae m. est is qui vendit benzinum. cfr Caelestis Eichenseer, Vox Latina 1976, p.223: Tankwart - benzīnārius, -ī m..



Nec mora cum ex hamaxosticho egressus est, se Academiam contulit. Prae grande de longinquo aedificium videbatur, cuius propectus Augustinum valde movit. Antiquissimi aedificii frontem binis columnis perbelle dispositis foribusque quam maxime ornatis animo suspensus nec secus ac iuvenis a Cupidinis sagitta saucius, cum ea, quam secreto flagrabat et nesciebat virginem, ei ex improvviso obviam it, sic peregrina oculorum acies intuebatur. In singulis foribus invenires hominis historiam, ex primordiis ad nostrates; hic Adamum et Evam parentes, universale, quod dicitur, diluvium, Aegyptiorum pyramides, illic celerrimi autocineti repertorem, satis notum illius regionis cantorem, novissimum, qui ad rei publicae gubernaculum sederat (imagines quasi vitam agentes computatri<sup>1</sup> ope in dies mutabantur). In summa autem fronte virgo passis crinibus alis et tuba peregrinos despiciebat.

Ad aedes suum cogitans parvum esse ingenium, illud fere templum aggredi iis, qui sunt inde egressi, dedecori fore, humilis Augustinus graditur. Primo die omnes scholastici conturbantur, alii timoris causa, alii ob rei novitatem. Scholis primis de birotarum partibus, quae quippe summa - ut aiebant – cum arte colendae essent, interfuit. Nec mora cum intrasset, quamvis pauci scholam frequentantes videret, in parte ultima prudenter sedit, ne incitia sua patefacta omnibus risui esset. “Incipiamus” dixit professor cathedrarius provectissimae aetatis. “Omnes - ut verum fatear- non multi, qui meae adestis scholae, duabus de causis birotarum compositionem quasi divinam artem venerari debetis; primum, quod compositione amissa quemadmodum quaeque birotae pars suo munere fungatur, omnino ignorabitis, quod pati non possumus, cum praesertim haec ars sit una, qua birotae historiam per saecula comperietis; alterum eo quod mentem exercet et acuit et forte quinque annis post cum aliam viam diversis causis ingrediamini, huius exercitationis experimentum in alia negotia animos intentos vos comitabitur. Ergo nulla est causa, quominus hanc pulcherrimam et utilissimam artem discamus! Pulcherrima, nam quid pulchrius quam cuiusque birotae partes singillatim numerare, dinoscere, discernere; utilissima, quid enim utilius quam mentis exercitatio? Sed haec hactenus, cum vos ita allectos videam, ut ad birotarum compositionem totum animum mittatis.”

---

<sup>1</sup> \*computātrum, -i n. *computer*. Quod instrumentum a Francogallis aliisque sermonis patrii Romanici latinophilis etiam dicitur \*ordinātrum, -i n.

His dictis Augustinus non parum est miratus, quod in eo loco, ubi sedebat, condiscipulus iuxta turbabatur et ob magistri peritiam quoque tremebat et: “Auditisne” - parva voce Marcus ait- “quam excellenter de birotarum compositione vir ille allocutus sit? Frater meus, qui anno proximo ex Academia egressus est, eum birotae inferioris partis peritissimum totius orbis esse mihi fassus est. Neque inmerito, cum eo aures nostras permulceret, ut nostrum compulerit animum, ut birotali arti nos inde ab initio committamus”. “Nostine” - Augustinus ait- “tantum virum? Credisne nos eo duce tam doctos quam eum evasuros esse”. “Certissime, sodalis! Nisi magistro duce, quis ad summam scientiam nos perducet?”.

Cum scholam, qua elementa artis birotalis continebatur, per duas horas audivissent, foras se dederunt et sub arborum umbra futuram et, ut ferebatur, incertam vitam una cum aliis sodalibus cogitabant. “Mater” - quidam ait - “me rebus inutilibus operam dare male fert. Tamen quid faciam si pulcherrimi mihi quidem videntur? Num artem per se non coleres eoque intentiore animo quo inutilius? Quid si in simulacris faciundis tempus teram vel carmina delectabiliter fingam? Nonne idem esset ac si arti birotali studeam?”. De intricatis et eiusdem farinae sermonibus disputantes, Flavius: “Salvete” – inquit - “carissimi! Ecce novi scholastici! Non te antea vidi, Augustine, et te coram convenire cupiebam, ut singula, quae extra Academiam aguntur, tibi ostendamus”. “Mihi” - Augustinus ait - “id valde placet; liceretne sodalibus meis etiam vos convenire?”. “Ita, care! Sed spero fore, ut sanctam silentii fidem noscatis”. Omnes annuunt.

Cum iureiurando et fide foedus sanciretur, in partem umbrosam et ab Academia quadamtenus secretam omnes conveniunt. Xaverius etiam aderat. “Salvete, sodales” - Flavius ait - “nobis est in animo monstrare quid faciamus in hac Academia, ut artem birotalem revera experiamur”. “Sed” - Augustini condiscipulus inquit - “id iam cathedrarius multo eruditior et litteris imbutior quam tu nobis hodie dixit. Primum oportet rotae partes sciamus, ut earum munera multo melius elucescant, deinde singularum partium munus nobis perpendendum est, quo non sine iudicio birotam per saecula et hominum aetates animis comprehendamus”. “Gaudeo” - Xaverius tunc ait - “quod magister sic vos allocutus est. Tamen quid putatis esse emolumentum birotalis artis? Si enim id unum propositum habetis, ut

singulas birotae partes dinoscatis, quid posthac istud vobis proderit?”. His dictis, nullo autem adversante, instrumentum subtilissimo carbaso tectum birotae simillimum (colligi enim poterat sub linteis birotae species), indicavit. Linteis sublatis bellissima birota saeculi undevicisimi duabus magnis rotis iisdemque radiis splendentibus praeditis ob oculos ponitur. Plerique stupuimus et in eam propius invisendam appropinquavimus. “Cavete” - Xaverius inquit - “birotae, quam quippe non parvi aestimamus, quamque speramus ut hereditatem tradere nos posse”. “Videte” - Flavius ait - “partes, de quibus cathedrarius noster mentionem iniecit”. Tum alii rotae superioris periti totam perspexerunt et altioris aetatis, qui aderant, tirones docebant; alii, etsi pauciores, rota inferiore eruditi, quae, cum ad sufflamen et catenas attingeret, difficillima habebatur, primi anni discipulis scholam veluti cathedrarii tradebant. Laetabantur omnes, non aliter ac tener puer, qui mense Decembris donum perbelle tegumentis occultum a parentibus accipit et capsulam, qua donum continetur, frangere respuit, ne tegumentum pulcherrimum, quod ei est in deliciis, amittat, se putans magis oblectatum iri tegumento integro quam vero dono, quod intus inveniri suspicatur nec aperire parentium metu conatur, qui quippe eum donum ipsum recusare docuerint.

Cum partes absurde, ut pueriliter didicerant, et quidam contra normam iam cantitabant, “Et quis” - Xaverius inquit - “birotam nunc ducet?”. Obstupentes quid revera id sibi voluerit, omnino ignorabant. Nemo antea talia dicere ausus est neque id fieri posse animis umquam finxissent. Pedali sinistro fretus conscendit et ducit Xaverius birotam omnibus admirantibus; inter arbores et viatores ductorem discipuli peranxii sequuntur et pronius ad fidem miraculum esse murmurant. Sufflamen adhibens, Xaverius cum paululum difficulter (bracae enim sufflaminis disco haeserant) descenderet, surgit et “Iam” – ait - “quam facile id fieri possit satis scitis. Equidem non sum magister, at humilis birotarius, qui aliud quaerens ad verum finem nobis traditum tendit. Ecce fines, quibus birota vehamur: valetudini consulimus, amicitiam colimus, beatiores in dies sumus. Iis exceptis, cur in arte birotali tempus nobis teratur? Humaniores nos reddamus, corpus naturae aptius ostendamus, maximam nostrae vitae salutem observemus”.

Quae cum audivissent, plerique accenduntur et birotam gubernare cupiunt, at rationem et viam, qua id fiat, a Xaverio et Flavio petunt,

praesertim cum magistrum inter scholas birotam gubernantem numquam vidissent. “Id” - Xaverius ait - “per usum sine ullo fere negotio fit (sic antea maiores nostri fecerunt), tamen oportet initio birotam ad tirones destinata duabus rotulis rotae inferiori additis usurpetis et cottidie gradatim longiora spatia eam gubernetis. Ita eveniet, ut melius birotae partes mente comprehendatis artemque birotalem celerius capiatis. Quibus de causis scholae de birotam gubernanda singulis hebdomadibus habebuntur, quapropter si libet, frequentes tempore constituto huc venite, ut pulcherrimam a maioribus acceptam artem profiteamur!”.

In Academiam ea verba recolens Augustinus die crastino proficiscitur. Eius amicus primam scholam exspectans iam sedebat, cum repente subiratus magister intrat. Priusquam orationem haberet, Augustinus in ultima sessione locum, ubi sederet, invenit. “Heri” - magister inquit - “quoddam horribile visu mihi narraverunt; homines imperitissimos nullaque doctrina eruditos iuniores discipulos nugis et meriis naeniis decepsisse; eos birotam gubernare sine difficultate posse, scientiam minime necesse esse ad talia temptanda, amicitiam si diis placet colendam esse, corporis valetudini indulgendum esse... Quo quid absurdius, quid stultius? Nonne pilulas homines scientifici nobis dederunt, ut has saeculorum praeteritorum nugas omittamus et vitemus? Progrediuntur una cum genere humano tempora neque nunc est birotam gubernanda, quandoquidem optima in promptu habeamus celerrima autocineta, quibus vecti remotissima loca paucis momentis petamus”. “Sed” - Augustinus balbutit - “sed... magister, si id nobis usui non est, cur artem birotalem discimus?”. Ex ira in laetitiam versus “Rem” – inquit - “acu tetigisti, discipule, et id brevi dicam: ut universitatem rerum scientistae<sup>1</sup> rimantur et perscrutantur, ut dividunt et numerant et digerunt animalium corpus taxonomiae periti, sic nos birotae studemus eo impulsu, quo ingenium cottidie acuamus. Hoc pro certo habeas, discipule, cum quattuor annos huic disciplinae operam des, quamquam alio fungeris officio, scientia principia praecepta te comitabuntur. Nihilominus sunt nostra aetate antiquarii, rerum novarum studiosissimi, quorum imperitia ceteri praecellunt et id perridicule redintegrare conantur, quod denuo sicut homines

---

<sup>1</sup> \*scientista, -ae m. cfr P. Hoenen, In quibus deficiant **scientistarum** methodus et doctrina. *Gregorianum* Vol. 9, No. 3 (1928), pp. 443-460

saeculorum exactorum vehiculis indignis vehamur. Absit!”. Plerique condiscipuli plausum una fecerunt. Tanta enim probatione percussus “Num” - cachinnans ait – “utramque rotam cognoscere facile esse putatis? In hac disciplina tota vita consumitur et numquam, quia longa - ut aiunt - ars, vita brevis, scientiam omnino callebitis. Primum - hoc iunioribus dico - unam elegitote, quando utramque callere nemo potest. In praesentia discipuli utramque discent, demum vero uni, si sapitis, vos committetis. Difficillima enim rota inferior, ubi sufflaminum disci, catena et alia inveniuntur; facillima autem superior, quae quippe pro fere nihilo habenda sit. Alii alteram eligunt, alii alteram; elegantissimam, ut verum dicam, et praestantissimam rotam inferiorem esse confiteor, quam quidem adulescens elegi. Vae iis, qui superiori rotae operam dant! Patetne rotam superiorem ortam esse ab inferiore, unde omnia gignuntur? Remotis autem iocis (partim veris partim iucundis) singulis rotis gradatim et paulatim, partes satis discernens, studeamus”.

His paucis verbis hesternum, quod Augustinus vidit, miraculum ex aliorum mente excedit. Ne fere ullus proxima hebdomade scholis adfuit, at Augustinus nesciens quo motus, seminaria participabat et processus in dies efficere sentiebat. Ludibrio et risui initio condiscipulis habitus est, praesertim cum orationem cathedrarii omnes auscultassent, tamen cum sodalis eum fortiorem et paratiorem valetudine percepisset, is quoque scholis interfuit. Hac una de causa Augustini fides numquam infirma fuit, quoniam se validiorem inque rebus birotalibus peritiorem sentiebat.

Seminaria de arte birotali publice habebantur. Gubernantes birotam Flavium et Xaverium quispiam intuearetur, qui ad locum constitutum via compendiarum (ita enim tantum birotariis licebat) perveniebant. Birotas, quibus ferebantur, saepe mutabant et quattuor saltem singulorum Augustinus aspexit. Variarum birotarum species aliquando magistri - sic enim ab Augustino et Marco appellabantur - docebant. Ab eius birotae origine exordiebantur et cum aetatem, eius tempestatis homines, birotasque perfunctorie descripsissent, paulatim vehiculum ducebant. Primum adhibebant exemplum et discipulos celeriter birotam rotulis praeditam conscendentes iuvabant, quod Augustinus valde timebat, ne in humum vultum deiceret. Non modo vultus, sed etiam genua et crura humi vulnerares, si solito celerius birota

descenderes, quapropter ambo sibi ipsi cavebant. Haud semel certamen discipuli simul sub dio inire cogebantur, non quo minus sibi progredi viderentur, sed eo, quod cum vires tum animos, quibus sunt quondam ad ingenium periclitandum usi, promerent (ita enim sibi adeo indulgebant, ut peritiores et excellentiae avidiores evaderent). Xaverius autem metam constituebat, unde birotae ductores, cum lente initio pedales moverent, aliquando post celerius, campum corripiebant. Quis victor discederet, necquicquam pensi habebant, immo alter alterum vel laceratum vel tardum benigne iuvabat.

Mense autem Iunio anno insequenti tempora sunt mutata. Xaverius et Flavius, Augustino et Marco provectiones, ab Academia se discessuros esse haud sine dolore patefaciunt. Cum argumenta, quibus Academiam relinquerent, deficerent neque apparerent, ad fere omnes Academiae discipulos diversa perfertur fama; alii propter eorum seminaria arti birotali detrimentum allatum esse perque usum dignissimam disciplinam conspurcatam esse, alii eorum doctrinam quosdam aegre tulisse posse dictitabant. Quod autem ad discipulos pertinebat, cum periti ab Academia inviti aversi essent, nullus artem birotalem viva ratione colere perrexit. Iis expulsis et propalam damnatis (paulo enim prius maestitiam et maerorem in ore iam gerebant), deerant, qui condiscipulis aliam ab iis apertam studiorum rationem demonstrare auderent.

Quae cum Augustinus liquido comperisset, quid facturus esset nesciens, utrum rationem vivam adhiberet, an eam vestustiore et inaniorem, quam omnes commendabant, excoleret methodum, haec altius longiusque cogitabat in viculo suo degens patrio. Diu domi paene nulla verba fecit neque cum avia, quae etsi sapidas, ut solebat, mensas apponebat, colloqui gestiebat. Tandem aliquando, cum libri de arte birotali iacere et lacrimis fere nepotem vescentem avia intueretur, Conradum, amicum et alterum avum, qui quippe nepotem adolescentem haberet, visere Augustinum iussit. Alium, quem non noverat, macilentiorum ad mortem potius quam ad vitam spectantem domum Conradus comiter accepit. "Quid agis" - post prandium Conradus ait - optime rerum? Prandium sumens nihil mihi de Academia narravisti, quod doleo, nam omnia tua scire cupio. Num doctrinam tuam succulentiore altera ditasti? Scientiarumne copiam augere potuisti?". "Immo vero - Augustinus murmurat - eam valde

auxi, at pro nihilo sum id adeptus”. “Noli nugari, mi puer, scientia enim nemini nocet, immo homines instruit apprimeque erudit. Cur id dixisti? Narra mihi, quaeso”. Tum Augustinus prodigium, quod olim vidit, gaudium et denique summam tristitiam narravit. Conradum appropinquans appulsu quodam gravique onere deplorando onustus amarissimas dimisit lacrimas, quas Conradus, pius vir, quoad potuit, continuit. “Multum es passus, Augustine, sed spes numquam deponenda est. Amici, quos in propatulo perditii homines damnaverunt, testimonio tibi sint; viam ab iis apertam calca eorumque sycophantis veniam quam primum da. Humanum est - ut aiunt - errare, puer mi, et omnes, qui facinora patrent debitisque alligentur, esse aliquando soluturos satis scio. Esto iustus, esto pius neque illis umquam comparere. Vulnera et iniuriae acceptae, ut animus roboretur, tibi sint”. “Atqui” - per genas lacrima adhuc manante ait - “quemadmodum id efficiam, Conrade? Quidam sum birotalis artis cultor neque idem doctus ac Xaverius et Flavius. Ceterum ne birotam quidem habeo”. “Quiesce, Augustine: Deus providebit”.

Quadam die mense Augusto fores feriuntur. “Quid” - avia inquit - “est? Age, Augustine”. Claustra reserans per vitream portam effigiem mox novit. “Est Conradus!”. “Salvete, sodales!”. Ad vehiculum, quod Conradus gerebat, animum celeriter mittit. “Hoc est donum, Augustine, ut doloris memoriam deponens, maiora moliaris”. “Quam pulchram” - ait avia - “birotam nobis donasti, Conrade. Tamen ut hanc gratiam tibi referamus?”. “Eam nunc Augustinus gubernet”. Annuit valde gratus Augustinus et birotam ad viam gubernavit. “Unde tam pulchram birotam emisti, Conrade?”. “A me”. Ambo sunt mirati. “Tamquam tu, equidem iuvenis hanc artem colere temptavi et quamquam initio me etiam viva ratione birotam gubernare docuerunt, admonitus sum ab aliis, ne talia nefanda, horribilia visu persequerer. Mense priore cum de eo, quod in Academia contigit, collocti sumus, proposita et incepta mea praeterita recolui neque te in eundem errorem ab aliis induci pati poteram. Spero autem fore, ut me hanc salutiferam artem doceas”. “Id” - ait Augustinus - “pro certo habe, Conrade!”.

Quid Augustino, optime lector, - si quaesieris - evenerit, paucis dicamus. Birotali arti totus commissus, alios, quos corporis studium invaserat, Xaverio et Flavio clanculo praeceuntibus, birotam viva ratione ac per usum pro virili docuit, quod praefectis Academicis

minime arrisit. Quamvis per quorundam ora continenter traduceretur, eo utilissimo, quod adamabat, beneficia antea ostendens, quam plurimos instruere conatus est. Cum ex Academia humilibus laudibus ornatus exisset, in certamen publicum descendit, unde summis honoribus victor discessit, neque ullum quidem temporis articulum (sibi enim semper constans) per totam vitam praetermisit, quominus artem birotalem discipulos in lyceo doceret.

Senem tandem altissimae aetatis (valde enim birotam gubernare profecit) fere occumbentem in valetudinario vidisses, cuius familiam medicus sic solabatur: “Beati” – ait - “qui pallidam mortem roseo risu obeunt”.

## **SCRIPSIT**



**Radulfus (*Raúl*) Navarro**

<http://independent.academia.edu/Ra%C3%BAINavarro>



# VOCABULA COMMUNICATIONIS ET INSTRUMENTORUM GRAPHEICORUM (IV)<sup>1</sup>

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

**CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane:**

**PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.**

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem primam, quae spectat ad astronomiam. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM  
– IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI.  
NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.  
DOMESTICA – VIII. PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA  
HORTULANA – IX. VESTIMENTA – X. INSTRUMENTA  
PERSONALIA – XI. ARS ET ARCHITECTURA – XII.  
COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.  
TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.  
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas primam partem huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

<sup>1</sup> cfr EL 163, p.5-8: VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII) et EL 185, p.21-27 (IX).

Theodiscê	Anglicê	Francogallicê	Hispanicê	Italicê	Latinê
<b>p.497 Tonwieder- gabesystem</b>	stereo sound system	chaîne stéréo	equipo de alta fidelidad	impianto hi-fidi di riproduzione del suono	<b>systema *stereophonicum</b>
<b>Receiver: Vorderansicht</b>	ampli-tuner: front view	ampli- syntoniseur: vue avant	amplificador/ sintonizador: vista frontal	sintoamplificatore vista frontale:	<b>*syntonistrum *amplificatorium: cōnspectus frontālis</b>
Klangwahlanzeige	sound mode lights	voyant d'indication du mode sonore	indicadores del modo audio	spie della modalità audio	<b>*indicāmen modī audītōriī</b>
Feldstärkereglern	sound field control	contrôle du champ sonore	control del campo audio	controllo del campo audio	<b>moderāmen campī audītōriī</b>
Kontrolleuchten für Tonsignalquellen	input lights	voyants d'entrée	indicadores de entrada	luci delle sorgenti	<b>lucernae *inditōriae</b>
Tonsignalquellen- Wahltaster	input select button	touche de sélection d'entrée	tecla de selección de entrada	tasto di selezione delle sorgenti	<b>plēctrum indita sēligendī</b>
Kassettenrekorder- Wahltaste	tape recorder select button	touche de sélection du magnétophone	tecla de selección del grabador	tasto di selezione del registratore	<b>plēctrum *casētophōnī sēligendī</b>
Lautstärkereglern	volume control	réglage du volume	control del volumen	regolatore di volume	<b>moderāmen volūminis</b>
Balancereglern	balance control	équilibre des haut-parleurs	control de balance	bilanciamento degli altoparlanti	<b>moderāmen aequilibrium</b>
Höhenreglern	treble tone control	contrôle de tonalité des aigus	control de agudos	regolatore degli alti	<b>moderāmen alitudinum</b>
Bassreglern	bass tone control	contrôle de tonalité des graves	control de graves	regolatore dei bassi	<b>moderāmen bassorum</b>
Eingangsschalter	input selector	sélecteur d'entrée	selector de entrada	selettore di ingresso	<b>*sēlēctrum *inrātōrium</b>
Display	display	afficheur	display	display	<b>*indicāmentum, -ī n. *othonidium, -ī n.</b>
Speichertaste	memory button	touche mémoire	tecla memoria	tasto di memorizzazione	<b>plēctrum memoriāle</b>
UKW-Wahltaste	FM mode select button	touche de sélection du mode FM	tecla de selección de modalidad FM	tasto di selezione della modalità	<b>plēctrum modī sēligendī undae *ultrābrevis</b>
Bandwahltaste	band select button	touche de modulation	tecla de selección de banda	tasto di selezione della banda	<b>plēctrum taeniae sēligendae</b>
Vorwahlsender- Wahltaste	preset tuning button	touche de présélection	tecla de selección sintonía	tasto di preselezione della sintonia	<b>plēctrum *syntoniae *praesēligendae</b>
Sender- suchlauf-tasten	tuning buttons	touche de sélection des stations	teclas de selección de la sintonía	tasti di selezione della sintonia	<b>plēctra *syntoniae *sēligendae</b>
Kopfhörerbuchse	headphone jack	prise casque	toma para los auriculares	presa per cuffia	<b>capsa *cephalophōnī</b>
Kanalwahl-tasten für Lautsprecher	loudspeaker system select buttons	touches de sélection des enceintes	teclas de selección de los altavoces	tasti di selezione delle casse acustiche	<b>plēctra ēchēōrum canālēs sēligendī</b>
Netzschalter	power button	interrupteur d'alimentation	botón de encendido	interruttore di accensione	<b>*mūtāmen *alimentatiōnis</b> [2. Nicola Bammacaro, Tentamen de vi electrica ejusque phaenomenis in quo aeris cum p.81: "Atque haec est prima <b>alimentationis</b> operatio barometricae omnino similis".]
Klangwahlschalter	sound mode selector	sélecteur de mode sonore	selector del modo audio	selettore della modalità audio	<b>*sēlēctrum modī audītōriī</b>

<b>Amplituner: Rückansicht</b>	ampli-tuner: back view	ampli- syntoniseur: vue arrière	amplificador/ sintonizador: vista posterior	sintoamplificatore dorso	<b>*syntonistrum</b> <b>*amplificātōrium:</b> <b>cōnspectus dorsālis</b>
Massekontakt	ground terminal	borne de mise à la terre	conector de puesta de terra	terminale della messa a terra	<b>*connecticulum</b> <b>terrestre</b>
Lüfter	cooling fan	ventilateur	ventilador	ventola	<b>*ventilātrum, -ī n.</b>
Netzkabel	power cord	cordon d'alimentation	cable de alimentación	cavo di alimentazione	<b>capulum</b> <b>*alimentātiōnis</b> [2. Nicola Bammacaro, Tentamen de vi electrica ejusque phaenomenis in quo aeris cum p.81: "Atque haec est prima <b>alimentationis</b> operatio barometricae omnino similis".]
geschaltete Steckdose	switched outlet	prise de courant commutée	conmutador de corriente	presa di corrente commutata	<b>capsa contactūs</b> <b>commūtāta</b>
Lautsprecher- buchsen	loudspeaker terminals	bornes de raccordement des enceintes	conector de altavoces	terminali di collegamento delle casse acustiche	<b>*connecticulum</b> <b>ēchēōrum</b>
Video- Ein- und Ausgänge	input/ output video jacks	prises d'entrée/ de sortie audio/ vidéo	tomas entrada/ salida video	ingressi uscite audio/ video	<b>ingressūs/ exitūs</b> <b>audītōriī et</b> <b>*māgnētoscopicī</b>
Antennenbuchsen	aerial terminals	bornes de raccordement des antennes	conectores de antenas	terminali di collegamento delle antenne	<b>*connecticula</b> <b>antennārum</b>
<b>p.498</b> <b>Rundfunk- empfänger</b>	tuner	syntoniseur	sintonizador	sintonizzatore	<b>*syntonistrum</b> <b>*radiophōnicum;</b> <b>*radiophōnum, -ī n.</b>
Netzschalter	power button	interrupteur d'alimentation	botón de encendido	interruttore di accensione	<b>*mūtāmen</b> <b>*alimentātiōnis</b>
Speichertaste	memory button	touche mémoire	botón de memoria	tasto di memorizzazione	<b>plēctrum *memoriāle</b>
Mono-Stereo- Taste	mode selector	commutateur mono-stéréo	selector mono- estereo	commutatore mono/ stereo	<b>*sēlēctrum</b> <b>*monophōnicum vel</b> <b>*stereophōnicum</b>
automatischer Sendersuchlauf	active tracking	balayage automatique des stations	búsqueda automática de canales	ricerca automatica	<b>quaestiō statiōnum</b> <b>*automatica</b>
Sendereinstellung	tuning control	sélecteur de stations	control del sintonizador	manopola di ricerca delle stazioni	<b>*sēlēctrum</b> <b>statiōnum</b>
Modustaste	tuning mode	mode de sélection des stations	modalidad sintonizador	modo della sintonia	<b>modus *syntoniae</b>
digitale Frequenzanzeige	digital frequency display	affichage numérique des stations	indicador digital de frecuencia	indicatore digitale di frequenza	<b>*indicāmentum</b> <b>frequentiae digitāle</b>
